

utitur, imperans piis, ut inebrientur Gratia Epulis Cant. V, 1. Ipse etiam Plautus dicens: *Facite mihi, Cæna ebria sit*, ubi intelligit cœnam opipare instructam, non vinolentiam. Qui sensus verbi μεθύειν mitior h. l. eo magis obtinet, quo clarius eundem Paulus per τὸ πίπειν Bibere v. 22. & 29. interpretatur, neque credibile, Divites ipsam S. cœnam depacchando ita studio profanasse, sed bibisse ad saturitatem. Quod B. D. D. Schomerus in Exeg. in E. Pauli in h. l. p. 99. ita expressit: *unde factum, ut alii largiter inebriarentur sive biberent ad saturitatem: Id enim Ebraeis est inebriari; alii vero esurient postpositi, & qui nihil attulerant.*

§. 5. Remanet itaque, Delictum Corinthiorum antieucharisticum in praeceptione aut anticipatione Eucharistia separatistica ac temeraria constituisse, quam notanter Apostolus exprimit per iniquum προλαύβειν, quaque Ditiores dicuntur præoccupasse (ἰδιον δεῖπνον ἐν τῷ Φαγεῖν) propriam Cœnam in edendo v. 21. seque eo ipso ab Ecclesia separasse v. 18. Debebat enim Sacra Cœna usurpari tanquam *Dominiæ* (κυριακὸν) ad nutum *Domini*. Cum enim à *Domino* sit instituta, corpus & sanguinem *Domini* exhibeat, debeatque in memoriam *Domini* Jesu Christi sumi, nec minus ordinata sit omnibus, qui Christum venerantur suum *Dominum*, in communem cibum ac potum, & ut plures in congregatione fidelium participent de uno illo pane & calice benedicto 1. Cor. 10, 17. Corinthii vero pauperes à consortio suo & participatione communis Panis Sacramentalis excluderent v. 33. & soli sibi coenam sumerent: inde dicuntur ex communi δεῖπνω fecisse ἰδιον δεῖπνον propriam ac privatam Cœnam, idque ἐν τῷ Φαγεῖν manducando. Quo ipso voluntas institutoris violata, pauperes pudefacti, mens carnalis, mundana, irrogenita sumentium prodita, & secessio ab Ecclesia facta est. Remittuntur enim Corinthii (tanquam *carnales* 1. Cor. 33. 4.) ad domos suas, ut, si soli remotis pauperibus convivari velint, domi id faciant, epulasque tales privatim sibi habeant v. 21. eo quod ita epulari indignum sit hac S. Cœna v. 27. indignum quoque Consortio Ecclesiæ, à qua necessum sit secedere eum, qui contra Ecclesiæ Caput ac Dominum adulterando ejus ordinationem, insurgat maxime, qui vinculum concordia ac mutua dilectionis hoc ipso solvat, fidem exuat, utpote quæ sine Charitate esse nequit, & ipsam κοινωνίαν certo modo 1. Cor. 10, 16. rumpat, sec. *judicium Theolog.*